



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM LITTERAE DECRETALES *BEATO LEOPOLDO MANDIĆ A CASTRO NOVO,***

***SANCTORUM CAELITUM HONORES DECERNUNTUR*** «Omnia autem ex Deo qui reconciliavit nos sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo» (2 Cor 5, 18-20). Haec verba et exhortationes apostoli Pauli optime adhiberi possunt ad Leopoldum Mandić, qui totam vitam suam consumpserit in bono animarum promovendo per administrationem sacramenti reconciliationis. Ille in oppido Castro Novo (Herceg-Novi) dioecesis Catharensis natus est die XII Maii MDCCCLXVI et sacro baptismatis fonte rite ablutus, Bogdan (scilicet Deodatus) Ioannem accepit nomen et omen. Parentes habuit Petrum Antonium Mandić et Carolam Zarević natione Croatos, morum integritate, puntate fidei pietatisque studio praestantes qui maritimum commercium exercebant. Duodecim liberos de matrimonio susceptos, quorum Bogdan Ioannes fuit undecimus, christiana religione instituerunt. Praecipue mater precandi fervorem et amorem filio instillavit. Scholas elementarias publicas alacritate magna et studiorum prosperitate frequentans vespere ad ludum privatum apud Fratres Minores se conferebat. Cotidie mane patrem ad ecclesiam comitabatur quocum ad sacram Mensam accedebat. A teneris suis annis proinde ad christianam perfectionem animum applicuit omniumque virtutum specimina dedit. Cum esset adhuc puer se devovit Beatissimae Virgini Mariae. Maioris autem perfectionis aviditate flagrans in animo suo maturavit se totum Deo consecrandi consilium, quod eius parochus probavit et fuit; deinde a sodali Societatis Iesu admonitus est ut Capuccinus fieret. Nam ad vicinum conventum Capuccinorum ventitare solitus erat, Annos natus quindecim cum dimidio die XVI Novembris MDCCCLXXXII Castro Novo discessit atque Utinum ad Seminarium Capuccinorum est profectus. In seminario vero Utinensi duos annos transegit disciplinas gymnasiales perficiens. Socii eius aequales testati sunt eum fuisse unicum exemplar disciplinae, diligentiae in litteris, moderationis in operibus et praecipue pietatis in oratorio ubi tamquam sanctus precabatur. Die autem II Maii MDCCCLXXXIV annos natus duodeviginti habitum Religiosorum induit, assumpto nomine Leopoldi, in conventu novitiatus Bassani ad Grappam sito et die IV Maii sequentis anni in eodem conventu professionem religiosam simplicem emisit, unde continuo ad conventum Patavinum translatus est; ibi studiis philosophiae incumbens vota sollemnia nuncupavit die XXVIII Octobris MDCCCLXXXVIII semperque maxime placuit ei hunc statum religiosum profiteri. Inde Venetias ad conventum in Giudecca missus est ut studia theologiae perageret ibique Ordines minores suscepit ac denique die XX Septembris MDCCCXC sacerdotio est auctus. Ceterum, cum paulatim institueretur iuvenis Leopoldus, rem persensit animo quae deinceps totam vitam eius illuminavit, scilicet specialem vocationem ad apostolatam pro Ecclesiae unitate. Hanc vocationem anno aetatis vigesimo primo ita clare percepit, ut etiam post quinquaginta annos permoto animo de ea recordaretur: «Hoc anno (MCMXXXVII videlicet) quinquages vertitur anniversarium in quo prima

vice Dei votantes sensi vocem, qua me vocabat ad orandum, ad promovendum reditum dissidentium Orientalium ad catholicam unitatem ...». Quam votem postes saepius in vita suo percepit. Ita die VII Octobris anno MCMXII scripsit: «Hodie in sacra Synaxi sumenda clare intellexi ex copia rerum et veritatis evidentia me vocari ad opus redemptionis populi mea. Id est Dominus Iesus et Virgo Maria volunt pascere oves errantes; inter ceteros ad hoc opus vocatos volunt ut et ego sim. Erunt ergo ratio totius vitae meae illa verba divina: "Erit unus Pastor et unum ovile"». Sacerdos initiatus septem annos remansit Venetiis ad perficiendam formationem sacerdotalem, sacris ministeriis incumbens quae a Superiore locali ei committebantur. Annis MDCCCXCVII-MCMIX in nonnullis conventibus provinciae religiosae Venetae moratus est: tres annos ut Superior loci in conventu Iadrensi (Zara) ubi optimam memoriam virtutum religiosarum et sacerdotalium reliquit. Inde translatus est in conventum novitiatus Bassani ad Grappam, ubi quinque annos mansit (MCM-MCMV). Per annum fuit vicarius in conventu Iustinopolis (Capodistria) ac postea tres annos in Thienensi, audiendis confessionibus addictus. Sed vera ipsius missio coepta est in conventu Patavino, quo anno MCMIX translatus est ibique permansit, excepto brevi tempore, usque ad obitum die XXX Iulii MCMXLII. Exorto primo bello universalis, cum civitatem Italicam accipere renuisset, MCMXVI in regiones australes Italiae relegatus est; primo in conventum Acri (Provinciae Consentinae), deinde Tora (Provinciae monasticae Fodiensis), denique Arienzo (Provinciae monasticae Neapolitanae). Anno MCMXVIII bello profligato conventum Patavinum repetiit ibique usque ad mortem remansit. Hoc autem potissimum temporis spatio, annos scilicet MCMXVIII-MCMXLII, effulsit magnitudo et sanctitas Leopoldi Mandić. Superiorum voluntati obsequentissimus, intellexit non esse consilium Dei ut ipsemet in plagas orientales se conferret ad munus apostolicum exercendum sed ut in cellam audiendis confessionibus destinatum se per totam reliquam vitam includeret. Tunc scripsit haec memorabilia verba: «Omnis anima quae meum est petitura ministerium, erit interea meus Oriens». Et re vera in ministerio confessionum totam vitam suam impendit. Sufficit recolere quem decursum vitae singulis diebus constantissime sit secutus. Qui hora circiter quarta matutina in templum descendebat ut se ad Missae celebrationem praepararet. Hora V Missam celebrabat et quidem tanto devotionis affectu totque lacrimas profundens ut etiam lintea altaris madefaceret. Post gratiarum actionem statim in cellam confessionalem ecclesiae adiacentem se conferebat in iaque sedebat usque ad horam prandii. Deinde post brevem animi remissionem cum fratribus, in cubile suum se recipiebat usque ad horam precum vespertinarum. Quibus absolutis cellam confessionalem iterum petebat ut fidelium ad se venientium ministerio vacaret ad horam cenae nihil curans nec de rigido frigore hiemis nec de fervidis caloribus aestatis. Ac saepe quidem tam magnus erat confitentium numerus ut Moderatores eum ab aliquibus actibus communibus eximerent. Si quando vero post breve tempus a confessionibus liber remanebat, flexis genibus orationi vacabat. Post cenam et brevem recreationem in oratorium valetudinariae domestici se recipiebat ibique prolixè orabat aut flexis genibus aut stans nulli umquam fulcro innixus usque ad mediam circiter noctem; cuius rei rationem hanc afferebat: se pro peccatoribus quos eo die absolvisset deprecari et paenitentiam agere debere. Tandem in cubiculum suum referebat se ut brevem requiem quattuor vel quinque horarum caperet. Per diem e conventu non exibat nisi forte ad confessiones in aliquo instituto religioso excipiendas aut aegrotos invisendos. Numquam ferias sibi concessit. Si vero nunc ad eius virtutes respicimus, ille fuit sacerdos pietissimus ac vere «homo Dei» Spiritu enim Dei repletus et ambulans coram Deo numquam accessit ad proximum, quin simul magnum bonum afferret omni coetui hominum sive sapientium sive rudium, sive divitum sive pauperum. Videre erat innumerabiles sane turbas quae per triginta annos sacramentalis confessionis causa eum adibant et ille semper promptus serenus humanissimus apparebat ad quamcumque molestiam pro bono ac servitio sustinendam paratus. Tandem oculis ac stomacho laborans et arthritide deformanti affectus, quae ambulanti acerrimos dolores afferebat, numquam tamen a sacro destitit ministerio. Ita cum Deo intime coniunctus semper vixit ut merito diceretur vir in Deo semper defixus, in Deum immersus, iugiter cum Deo conversans, mentem ad Deum erectam habens. Quae coniunctio continua oratione alebatur. Etiam in audiendis

confessionibus Deo semper intentus videbatur. Magna praeterea fuit illius cum Dei voluntate conformitas praecipue in rebus adversis et afflictionibus. Etenim in adversitatibus laetabatur, hilarescebat, molestias et aegritudines, quibus in omnibus vitae suae temporibus acriter divexatus est, patientissime tolerabat et gravissimum laborum pondus adsidue alacriterque sustinebat. Item magna semper diligentia et perfectione observantiam tum praeceptorum Dei et Ecclesiae, tum evangelicae disciplinae consiliorum, tum arctioris instituti legum coluit. Insuper ille nec in minimo quidem voluit Deo displicere et omni conatu curavit conscientiae puritatem etiam in levibus servare. Eximia sollertiae sollicitudine atque Taborum adsiduitate ipse Divini amoris ignem in omnibus intendere excitare et fovere contendebat. Omnem vero operam potissimum in eo posuit ut quam plurimos a peccato averteret et ad Dominum adduceret. Ceterum negotium omnium gravissimum totius vitae Leopoldi Mandić nihil aliud fuit nisi proximi salutem procurare. Quare omnibus omnia factus est pro amore Dei. Praeterea omni ipse ratione omni studio omni industria aliena peccata expiavit ac vita virtutibus emendare studuit: in familiari consuetudine immo et quavis in confabulatione sermonem a terrenis fluxisque rebus sollerter divertens ad Deum revocabat. Neque minus admirabilis fuit illius amor tum erga pauperes tum erga afflictos tum erga aegrotos sive Ordinis sodales sive extraneos. Tantus erat eius amor in illos ut eorum dolores in se recipere non recusaret. Heroico amori erga Deum ac proximum virtutem spei iunxit quam et infundebat omnibus quibuscum versabatur. Dictus est vir prudentiae fuitque iustitiae observantissimus, quam observantiam ab omnibus exigebat, in primis cum de pauperum debiliū oppressorum tutela agebatur. Vir fuit incredibilis patientiae, constantis serenitatis, illibatae castitatis ita ut angelus in carne videretur. Tantaque erat humilitatis ut ultimum fratrum se haberet ac de derisionibus gauderet quibus interdum afficiebatur. Gratiam a Deo petierat ministerium suum usque ad mortem explendi; et exaudita est eius oratio. Etsi tumore ad oesophagum affectus, quo ultimis hebdomadis ne quemlibet deglutiret cibum excepta S. Eucharistia impediabatur, non tamen destitit opus sueta diligentia exsequi. Quoad potuit etiam magna cum difficultate in ecclesiam se conferebat. Deficientibus autem viribus fideles suo cubiculo excipiebat. Pridie mortis ad quinquaginta hominum confessiones audivit. Postero die nempe XXX Iulii MCMXLII primo mane, cum Beatus ad Missam celebrandam se pararet, sanguinis ictu correptus est. Dein, devotissime oleo infirmorum recepto factaque animae commendatione, dum una cum fratribus «Salve Regina» recitabat, ad illa verba «O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria», manus ad caelum tendens placidissime exspiravit. Eius morte vix divulgata factus est ingens concursus fidelium ex urbe Patavina et undique, quamquam continuum periculum instabat igniferorum globorum ut tempore belli. Funus non in parva ecclesia Capuccinorum sed in vastissimo templo Servorum Mariae celebratum est, praesentibus auctoritatibus civilibus et ecclesiasticis urbis et immensa hominum multitudine. Corpus sepultum est in coemeterio communi Patavino, quo fideles catervatim confuebant, donec die XIX Septembris MCMLXIII translatum est in conventum ubi vitam traduxerat prope cellam confessionalem quae et ipsa frequentium peregrinationum ex tota Europa atque exteris regionibus meta est facta. Eius autem fama sanctitatis perscrescente caelestibus quoque signis confirmata, anno MCMXLVI processus ordinarii Patavii incohati sunt et anno MCMLII expleti. Iude Romam delati die XXVI Martii eiusdem anni rite aperti sunt. Edito die II Aprilis MCMLIV super scriptis decreto Ioannes Papa XXIII Decessor Noster commissionem introductionis Causae die XXV Maii MCMLXII obsignavit. Processus apostolici super virtutibus et miraculis in specie Patavii et Venetiis annis MCMLXIII-VI rite peracti sunt ac de eorundem validitate die XXX Novembris MCMLXVIII decretum prodiit. Quapropter Causae actores statim post editum die I Martii MCMLXXIV Decretum super heroicis Servi Dei virtutibus duas insigniores selegerunt sanationes easque examini Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum exhibuerunt ut eidem Venerabili Servo Dei honores Beatorum Caelitum tribuerentur. De hisce peracta discussione Summus Pontifex Paulus Papa VI Decessor Noster die XII Februarii MCMLXXVI decrevit: constare de duobus miraculis Venerabili Servo Dei Leopoldo a Castro Novo intercedente a Deo patris scilicet: de instantanea perfecta que sanatione tum iuvenis Elsae Raimondi a peritonitide tuberculari fibrinosa, tum domini Pauli Castelli a gravissima trombosi arteriae

mesentericae superioris cum infarcto late extenso tenuis intestini. His ergo omnibus absolutis die II mensis Maii MCMLXXVI in area coram Sancti Petri Basilica Venerabilis Leopoldus Mandić a Summo Pontifice Paulo Papa VI in Beatorum numerum sollemniter relatus est. Ceterum post indultam Leopoldo Mandić venerationem novas prodigiis eum Altissimus illustrare dignatus est. Quare causa reassumpta ab actoribus propositi est sanatio dominae Elizabeth Ponzolotto ab ischaemia postembolica artus inferioris sinistri in patiente cardiopathica ob valvulopathiam mitralicam fibrillantem; in quam rite est inquisitum eamque Consilium Medicum a Sacra Congregatione pro Causis Sanctorum coactum anno MCMLXXXIII cunctis sententiis affirmavit praeter naturae vires et leges contigisse. Re in suetis coetibus eiusdem Sacrae Congregationis pertractata Nos die IX mensis Iunii anno MCMLXXXIII ediximus constare de uno miraculo Beato Leopoldo Mandić a Castro Novo intercedente a Deo patrato, videlicet de instantanea, perfecta constantique sanatione Elisabeth Ponzolotto ab ischaemia postembolica sicut supra descripsimus. Universis igitur rebus expeditis Nos in sollemni consistorio die XXVII mensis Septembris MCMLXXXIII habito statuimus ut Beatus Leopoldus Mandić a Castro Novo XVI mensis Octobris eodem anno Sanctus palam renuntiaretur. Hoc igitur faustissimo die in area ante Basilicam Vaticanam patente coram S. R. E. Cardinalibus et Romanae Curiae aliisque e regionibus Praesulibus non paucis atque Episcopis in Synodo coadunatis necnon sacrorum ministrorum religiosorum fidelium multitudine Nos precibus concessimus Venerabilis Fratris Nostri Petri S. R. E. Cardinalis Palazzini Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum Praefecti flagitantis ut Beatus Leopoldus a Castro Novo a Nobis in Sanctorum album referretur. Qua de causa cunctis Caelitibus Arius in adiutorium advocatis divinoque implorato Spiritu Vos pro munere supremi Ecclesiae universalis Pastoris Christique in terris Vicarii haec tandem pronuntiavimus verba: «Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatum Leopoldum Mandić a Castro Novo Sanctum esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus statuentes eum in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Quibus vocibus prolatis item praecepimus ut hae conficerentur litterae Decretales. Postquam vero gratias Deo una cum adstantibus egimus et sermonem habuimus de novi Sancti vita et virtutibus quo docuimus, cum oporteat testificari Deum amorem esse ipsa in historia generis hominum totiusque mundi, novum eiusdem hunc Sanctum illud luculenter et operibus suis et exemplis etiam sine documentis scriptis praedicasse proindeque dignum esse quem imitentur omnes Evangelii testes ac praecones. Denique eius auxilium primi invocavimus atque sacris operari in eiusdem honorem perreximus. Quapropter omnibus, quae investiganda ac ponderanda fuerant, accuratissime peractis, ea quae super gesta commemoravimus, iam toti Ecclesiae patefacimus mandantes ut harum Litterarum exemplis etiam types impresses manu tamen alicuius tabellionis subscriptis sigilloque obsignatis eadem prorsus fides habeatur quae his ipsis tribueretur si quando deinde exhiberentur. *Datum Romae apud Sanctum Petrum die decimo sexto mensis Octobris anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo tertio Pontificatus Nostri sexto.* EGO IOANNES PAULUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.* © Copyright 1983 - Libreria Editrice Vaticana